Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 13

Quelle:
Copyright:

tur Librarius non nisi *unum* ejus Librum adgnovit. *Hieronymi* Prologum in L. *Esther* scribere auspicatus est ille a lacinia de *Rufini Alphabeto*, cujus νοθειαν perstrinxit *Vallarsius* in Not. ad *Hier. div. Bibliothecam*, *Martianaeus* vero in Edit. *Maur.* T. I. *col.* 1137. etiam demonstravit; sed monuit alia manus in margine: *Non scribas hic, sed postea*, et ad finem genuini Prologi: *Sequitur* ruffini in libro, *scribas sine capitali.* Neque igitur Corrector iste νοθειαν suspicatus est, sed ordinem tantum praeposterum castigavit. Ceterum variis in Exemplis legitur *Rursum* pro *Rufini.*

VII.

Pars altera *S. Bibliorum* ejusdem rationis Folior. 317. in principio et fine pariter adscripta *Monasterio S. Johannis in Seycz cartus. ordinis* omisso *Psalterio* progreditur a Libellis *Salomonis*, qui *Capitulationes* praemissas habent, *Canticum Cant.* vero etiam interserta Colloquentium nomina. Ad calcem *Ecclesiastici* absque titulo comparet Locus ille e *Reg.* III. c. 8. et *Paralip.* II. c. 6. *Et inclinauit Salomon genua sua in conspectu totius ecclesie israel* &c. *Jeremiae* adjunctus est *Baruch.* Inter *Machabaeos* et *Matthaeum*, quo errore non liquet, incepta sed mox abrupta est *Apocalypsis*, quae demum post *Actus Apost.* a capite resumta est. Hanc excipiunt VII. *Epistolae Canonicae*, ubi I. *Joh.* c. 5. famosum Testimonium a prima manu hodie sic legitur: *et bij tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus.* Dein jam rasum et rescriptum: *Et bij tres vnum sunt.* Iterum a prima manu, sed inductum: *in terra. spiritus. aqua. et sanguis.* In margine vero omnibus his praeponendum notatur ab alia manu: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus. aqua. et sangwis.* Vides, quam labem Voces eaedem brevi intervallo redeuntes per Scriptorum inscitiam, aut incuriam Codicibus late induxerint. Sub finem iterum initium datum est *Paulinis Epistolis;* verum eae jam integrae Parte priore habentur.

VIII.

Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 389. 4. min. per duas columnas admodum nitide, minutissime tamen exaratus, literis initiorum, inscriptionibusque picturatis continet vulgati Interpretis *Sacra Biblia* praemissis *Hieronymi* Prologis, notisque Argumentis hoc ordine: *Pentateuchus, Josue, Judices, Ruth*, Libri IV. *Regum, II. Paralipomenon*, I. *Esdrae, Nehemias, Esdrae* Secundus, id est, *Tertius* apocryphus, *Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium*, Libri *Salomonis, Sapientia, Ecclesiasticus, Prophetae* majores et minores, II. *Machabaeorum*, IV. *Evangelia, Epistolae Paulinae, Apocalypsis, Actus Apostolorum, Epistolae Canoni-* H. 1